

16290.

DE
NARCOTICORUM IN
INFANTIBUS USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,
QUAM
AUCTORITATE AMPLISSIMI ORDINIS
MEDICORUM

IN
UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,
UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ASSEQUATUR,
LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Edwardus Reszig,
PETROPOLITANUS.



DORPATI LIVONORUM.
TYPIS J. C. SCHUENMANNI,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCXXXVI.

I M P R I M A T U R

haec dissertatio, ea tamen conditione, ut, simulae typis fuerit excussa, quinque ejus exempla collegio libris explorandis constituto tradantur.

Dorpati Liv. d. 5. m. Junii a. 1836.

Dr. P. U. WALTER,
O. m. h. t. Decanus.

P a t r i o p t i m o

D 17585

filius.

§ 1.

Perquam injuste ageret, qui nostris etiam temporibus, de morborum infantiae doctrina parum elaborata quereretur, quum inde a fine praecedentis saeculi, medicorum omnium longe excellentissimi summam hac in re operam collocaverint. Vel semiotice etiam morborum infantum, quae adhuc tam parum exulta fuerat, ex observationibus physiognomicis a Jadelot, e quaestionibus de infantum clamore a Billard institutis, denique e Sprengelii aliorumque, praecipue vero e Vogelii accurata et completa retractatione tantum cepit fructum, ut jam propius ad speciem illam perfectam et absolutam accedat, quam ut aliquando attingat, ob summam ejus in praxi medica in infantibus exercita praestantiam, maximopere exoptandum est.

§ 2.

Nihilo tamen minus haec summa scientiae incrementa non tantum, quantum expectare licebat, ad ipsam praxin valuisse mihi viden-

tur, quum et nunc, ni valde fallor, medicū in infantibus therapeutice curandis, justo minus organismi eorum proprietatem, ejusque tam graves evolutionis processus respiciant, quibus licet medicamentorum quantitatem accomodent, multo tamen minus remediorum vim et naturam adaptant; cujus rei causa vereor ne in eo praecipue quaerenda sit, quod materia medica infantum accurata et omnibus numeris absoluta, adhuc omnino caremus. Egregia certe sunt, quae Hufeland (1. cap. III.) de ratione, qua remedia quaedam, usu magis recepta, in infantum organismum agant atque de applicatione eorum, in medium protulit; quo magis est laudandum, quod promisso suo, se, si quae antea ediderat probarentur, (quod tamen, omnium consensu, factum est,) infantum materiam medicam completam editurum (1. 249), non steterit. Mükisch (4. § 349 — § 440) aliique eadem via longius processerunt, quum ceteri, inter quos et clarissimus Henke (15. vol. II. 279) operibus suis tantum steriles medicamentorum formulas adjunxerint, ita ut hoc doctrinae in campo permulta adhuc desiderentur.

§ 3.

Qua de causa me operae pretium facturum esse putabam, si ad lacunam illam explendam, pro mea virili parte conferrem aliquid, quantumcunque sit, comparans, quas de narcoticorum usu apud infantes protulerunt varias sententias, indeque colligere studens, num in universum hisce remediis in parvulis locus sit, tum

quibus praecipue narcoticis, iisque quibus temporibus uti liceat, et quarum denique rerum praecipue respectus sit habendus.

§ 4.

Omnium quidem narcoticorum hoc est commune, (32. § 216 — — § 248) quod vitam systematis nervosi certa quadam, ut ita dicam, provincia, et unam aliquam in partem, debilitant vel deprimunt. Vis enim eorum a nervorum finibus excipitur, cujus rei jam promptus eorum in ipso contactu effectus documentum praebere potest; praeterea vero et resorbentur et in materiae animalis naturam induuntur, quo facto, quum ipsam nervorum massam multatim tangant, tum demum omnem suam virtutem exercent et demonstrant.

§ 5.

Prima quaeque effectus cujusdam narcotici vestigia in ipso tantum nervorum systemateprehenduntur, receptivitate ejus deminuta, quae, si antea quovis modo morbose aucta fuerat, jam doloribus vel spasmis lenitis, mitigata et placata appareat necesse est. Tum vero, et hoc tere unice propter mutatam nervorum in reliquum organismum agendi rationem, sanguis venosus atriorem induit colorem, in vasis cutaneis accumulatur et vehementius ad systema venae portae propellitur; simulque deminuta assimilandi vi, aucta invenitur cutis, membranarum mucosarum, prae ceteris vero hepatis se-

cretio, aucta etiam vasorum lymphaticorum actio. Quae quidem omnia quasi criticam compensationem habeas et exaequationem disharmoniae antea provocatae, quo fit ut haec eo lenior procedat, eoque facilius tollatur, quo maturius mutationes illae materiales inceperunt. Quo autem vehementiores sunt perturbationes remediis narcoticis effectae, eo majorem relinquunt necesse est debilitatem: auctam nempe nervorum receptivitatem, majorem fibrae irritabilis laxitatem et proclivitatem generalem ad largiores secretiones. Summum denique efficacitatis narcoticorum gradum, veneficium ipsum seu narcosis ante oculos nobis ponit, quae imprimis stupore, lethargia, paralyti, vel apoplexia et convulsio- nibus cognoscitur.

De narcoticorum in infantibus usu in genere.

§ 6.

Narcotica sensibilitatem deminuunt; quae quum in infantibus per se jam exigua reperitur, dubitet aliquis, num narcoticorum usus in infantibus omnino admittendus sit, nedum certis in casibus etiam necessarius esse possit. Quod tamen quum toto pectore confirmo, medicum nullum, ne cautissimum quidem eo offensum iri, plane persuasum habeo. Ut enim nullum omnino venenum absolutum invenitur,

ita etiam narcotica, modo satis parvis in dosibus praebeantur, ne tenerum quidem infantum organismum, tamquam venena afficiunt, sed potius maxime salutares effectus producere et conamina naturae sanationem spectantia maximo- pere adjuvare valent. Quodsi medici alii alia narcotica et ex iis praecipue acidum hydrocyanicum ex infantum materia medica omnino exterminare velle videntur, nihil aliud eo contendunt, nisi ipsorum ad opinionem mitioribus etiam narcoticis omnes infantum morbos sanari posse, minime vero remedium illorum effectus per se et quovis tempore noxios esse.

§ 7.

Non autem veremur, ne narcotico effectu receptivitatem infantum, quae quum jam statu normali perquam vegeta sit, facile morbose augetur, deprimamus: id enim ipsum saepe efficere cupimus, et tantum de remediis dubitamus, quae huic scopo sine ullo effectu secundario vel adventicio respondeant; abhorremus potius a mere symptomata symptomatum levatione, indeque exorto errore et mora; timemus, propter infantum eximiam receptivitatem, cujus fines fere nunquam accurate constitui possunt, vehementiores narcoticorum in omnem sensibilitatis statum effectus secundarios, praecipue vero irritationes aliorum systematum adventicios. Si vero nobis contingit, ut effectus quos modo commemoravimus metuendos eliminemus et prohibeamus, libenter certe narcoticis, ubi indica-

ta apparent, etsi magna cum circumspecta utemur.

§ 8.

Num autem in universum in infantibus narcoticorum usus indicatus invenitur? Invenitur sane. Praeterea enim quod in parvulis vel tenerrimae etiam aetatis, etsi raro tantum nervorum affectiones primariae, et quidem exaltationes morbosae receptivitatis, diversissimis sub formis apparent (24. 9. 285), quae prorsus deprimendae sunt, ne nimis acri reactione, vis organismi infantilis et alias exigua exhauriatur; praeter haec inquam, affectiones etiam mere symptomatae et sympathicae nervorum nonnunquam eum in gradum exaugentur, ut ipsam tantum morbi causam remove tentantibus, timendum esset, ne antequam ad hunc finem perveniremus, organismus infantis violenta nervorum procella conficeretur. Hoc praecipue ratum est ubi tenera in constitutione vitium jam diutius duravit, eoque quodammodo idiopathicus nervorum morbus est factus (1. 266). Difficile esset accuratius exponere, ubi generatim in infantibus narcoticis uti liceat, quum eorum quodque effectu a ceteris tantopere dissideat. Ut igitur spasmos et dolores varios taceam, nonne quisque mihi concedet, fieri posse, quamquam rarissime, ut somnus narcoticorum usu artificiose excitatus, ad vitam infantis servandam plane necessarius sit, praecipue in infantibus qui jam primis a partu septimanis scabie, intertrigine, contusionibus laborant, et continuo

clamantes, paucis diebus ad extremam tabiem veniunt? (4. § 251) Longe tamen absimile ut sororium nutricum, vel matrum nimis sollicitarum, vel denique medicorum nullius fidei patrocinium suscipiam, qui infantum insomniacae et nocturnis clamoribus statim medicamenta soporifera adhibent, quum potius jactationis causam materialem, saepe facilem remota quaerere deberent. Saepe etiam infans totas horas flendo et clamando transigit, quia graviter fert, quod sine illis oblectamentis, vetulae morosae commissus, in parvulorum diaeta inclusus tenetur. Quae quidem morositas ubi praevallere incipit maximum organismo infantili detrimentum infert et tandem in verum morbum transire potest (20, 9). Jam vide, quantum hoc in casu medicamenta somnifica nocerent! Immo omni animo Boerio assentior, adhortationibus suis adjicienti (3 § 64), incommoda, narcoticorum abusu excitata, nonnunquam non statim apparere, quo casu influxus eorum noxii in organa praestantiora et omnem systematis nervosi evolutionem, tempore aliquo praeterlapso, eo clarius cognoscantur. Gellis (14 II. 81) etiam illum narcoticorum abusum, tanquam causam hydrocephali chronici affert; immo ipse odor gravis florum infantes obstupescere potest, cujus rei in documentum, jam Storck exemplum liliorum praebet (8. I. 266).

Non possum denique, quin magnum narcoticorum ad infantum euthanasiam medicam momentum commemorem; nam si vel adultum etiam hominem aegrotantem, usque ad extremam horam comitari, eumque rationis et chri-

stianae fidei armis mortis dolores vincere tentantem, nostra etiam arte quantum possimus adjuvare jubemur, quanto hoc magis in infantibus valet! et ad quaedam remedia tum saepius recurrendum erit, ut nervorum procella mitigata, mitem parvulis mortem paremus, quam ad narcotica? (7. 55.)

§ 9.

Quamquam vero confitendum est, narcoticorum in infantibus usum, non tantum non rejiciendum esse, sed nonnunquam eo ne supersedere quidem nos posse, tamen magis etiam quam ut iis utamur, monemur ne incautiores simus, neve obliviscamur veteris illius vocis: „Ne noceas ubi prodesse credis!“ Diligentissime igitur et accuratissime applicationis vias, medicamentorum formas et additamenta, denique prae ceteris dosin qua praebeantur, excutiemus et ponderabimus.

§ 10.

Ingestio narcoticorum in ventriculum, quo in adultis ad effectus provocandos praecipue utimur, jam ea de causa in infantibus aliquantum coercenda erit, quia in iis narcoticorum usus saepe indicatus est, ubi ob nervorum vehementes affectiones, indratio medicamentorum in os, vi effecta, incommoda et vel periculosa evaderet, quo non raro odor illorum vel gustus ingratus, aut certa quaedam infantis idiosyncrasia accedat. Praeterea a ventriculi parte

facillime etiam cerebrum afficitur, et si quando losi (licet caute electa sit) majore, quam pro infantis cujus curam habemus receptivitate, praebita, noxios effectus provocavimus, remedium fere omnino arbitrio nostro exortum videmus. Multa ex his incommodis inductione per intestinum crassum facta evitantur, ubi etiam dosis sine magno damno duplo major esse potest; quod vero generatim tantum valet, quum e. g. opium et laurocerasus interne vel sub clysmatis forma eadem dosi praebita, eandem fere vim exercent. Mükisch (4. § 425) clysmatibus narcoticis incaute adhibitis, convulsiones, paralysis extremitatum inferiorum, immo etiam tantum letalem progigni vidit. Eo in casu praecipue haec applicationis via caeteris praeferranda est, quum in medullam spinalem, in pelvis vel in inferiorum extremitatum nervos agere cupimus. Maxime autem celeriter insurgens, perquam sensibilis et omnes impressiones raptim propagans infantum cutis, ad narcotica excipienda apta mihi videtur, quum hic nihil eorum quae supra exposuimus sit extimescendum, et quovis momento, vel addendo, vel minuendo, vel auferendo, narcoticac substantiae effectum, nostrum ad arbitrium nisi omnino, aliquanto tamen magis quam ubi interne adhibetur, temperare et modificare possimus. Quam quidem ad rem non opus est, ut secundum methodum illam endermaticam, quam multi in infantum morbis tantopere commendaverunt (6, § 18), epidermidem magna cum temporis jactura multoque aegroti dolore removeamus, quum in infantibus praesertim tenerrimae aetatis, qui-

bus propter incommoda quae supra exposuimus, methodum illam imprimis adhibendam censuerunt, epidermis tam tenera sit, ut ea ablata resorptio non multum augeri possit.

§ 11.

Pauca tantum propter magnam narcoticorum diversitatem, de forma qua porrigenda sunt generatim dici possunt. Ventriculi infantilis exigua digestio vim et magnam sensibilitatem respiciens, remedium interne adhibitorum forma liquida, aptissima videatur, praesertim quum haec accuratiorem medicamentorum divisionem permittat. De clysmatis forma jam supra dictum est: utrum vero in narcoticis ad cutem applicandis, balnea potius, in totum simul corpus agentia, eligenda sint, an unctiones et emplastra, per se quidem magis topice mitigantia, quorum tamen effectus in teneris infantibus etiam latius patet, — ea de re secundum indicationes speciales discernendum est. E suffitionibus narcoticis, a Hufelandio (39, 55, 2, 85) experimenti causa institutis, in universum parum commodi ad praxin medicam demanare posse videtur, ab infantibus autem, ob effectus incertos plane arcendae sunt. Minus etiam quam de forma, de additamentis certi aliquid, et quod ubique valeat, in medium proferri potest, nisi fortasse quod narcotica cum diaphoreticis componenda esse videntur, ubi vim eorum obstupefacientem metuimus et minuire cupimus. Vogt praeterea monet, ne narcotica cum aliis medicamentis, e regno vegetabili desumptis, neve cum

solutionibus metallicis commisceamus, quia inde saepius sedimenta exoriantur, quorum natura nobis nondum satis nota sit. Sic etiam acida impediunt, quominus narcoticorum vis ad vitam irritabilem et vegetativam valeat; nervina autem pura, remedia excitantia et acria vim narcoticam magis ad systema nervorum periphericorum et functiones vegetativas ducunt.

§ 12.

Quod denique dosin attinget, ea semper propter altum receptivitatis gradum, quam minime esse debet. Generatim quidem praecipere licet, ut ex ratione aetatis progredientis, dosis etiam augeatur; tamen vero nihil minus est suadendum, quam ut tabulas illas medianum dosium secundum aetatem constitutarum, quales Hufeland (26, 34) et alii nobis dederunt, etiam ad narcoticorum in infantibus usum adhibeamus. Hac enim artis medicae parte, multa adhuc dubia atque incerta inveniri, eaque de causa narcotica infantum morbis adhibita, experimentorum instar esse, negari fere non potest. Cuius quidem ambiguitatis et incertitudinis causa, partim in statu receptivitatis, qui non semper a priori accurate definiiri potest, partim in varia narcoticorum bonitate et efficacia, partim denique in rerum externarum influxibus, quos subterfugere saepe non licet, sita esse videtur.

§ 13.

Eodem aetatis anno non semper idem simul evolutionis gradus, eadem constitutionis firmitas, eademque sensibilitatis energia animadvertitur. Praedispositio hereditaria, sexuum et temperamentorum quae vocant diversitas, facultates animi magis minusve excultae, omnis animi habitus, victus cultusque vitae, processus evolutionis, qui eo ipso tempore cum sympathiis a se excitatis existit, morborum qui antecesserunt in organismum effectus, status valitudinis praesens, varia morbi alicujus stadia, prior usus alicujus narcotici, quo aegrotus et hinc et omnibus narcoticis in universum paullulum assuefactus est, et aliae res fortasse multae, efficere possunt, ut in infantibus aliis, alia appareat, narcotici effectus receptivitas. Vel non nihil etiam referat, utrum infans breve ante narcotici usum dormiverit, an lac sumserit, num clamarit, an variis oblectamentis jucunda ratione occupatus fuerit. Contra rursus infantum organisatio, nec morbis, nec animi affectibus tacta, et, quo minor infans est annis, eo minor imaginationis, opinionum, voluntatis in mutanda symptomata influxus non nihil conferre possit ad effectum etiam narcotici alicujus remedii sincerius praestandum, ideoque hac ex parte nonnunquam certiora nobis indicia doscos constituendae praebent, quam quae in adulti hominis organismo reperiuntur. Quo acrior dolor, quo vehementiores convulsiones, eo confidentius doses constituere licet, ut e. g. in tetano, quum hoc in

casu non stuporem provocent, sed tantum spasmos leniant. Ut vero primum receptivitas perfecte revertit, dosis citissime ad decimam vel vicesimam prioris partem minuenda est, ne eo ipso remedio quo opem tuleramus, gravissimas affectiones excitemus. Si nobis singulo quodam in casu, ubi plura ex illis, quae supra exposuimus, momenti conveniunt, receptivitas aegroti parvuli non satis est nota, plerumque optimo cum jure a remedii, quo uti placet, dosi minima profecti, paullatim eam augentes ascendemus, qua ratione quum raro tantum aliquid negligitur, tum saepe maxima mala praecaventur. Nihilo tamen minus semper exoptandum erit, ut prima statim dosis receptivitatis statui vel omnino respondeat, vel certe quam proxime ad eum accedat. Receptivitas qua narcotici effectus accipiuntur, quam parum sibi constet, non tantum in adultis iisque sanis hominibus, simili animi temperamento praeditis, sed vel iisdem etiam in sanis hominibus variis temporibus, id optime e Joergii et ceterorum, societatis ab ipso conditae experientis, membrorum experimentis, quae in se ipsis instituerunt, cognoscere licet (29. 385 — 409).

§ 14.

Dosis porro secundum medicamenti efficacitatem constituenda est, licet nullum adhuc respectum habeamus adjuvantium, corrigentium, pharmaceuticae formae, quae omnia effectus non tantum vim sed naturam etiam aliquantum mo-

dificare valent. Quoties remedii alicujus quod a nonnullis quam maxime commendatum erat, alii, ceteris paribus, nullam fere efficacitatem invenerunt; — idque praecipue de narcoticis et extractis ex illis paratis valet. Cujus quidem rei causa haud alte est repetenda. Primum magni interest quo quacque loco planta nata sit (23. 127): utrum e statione nativa, an ex hortulo botanico sit desumpta, num in montibus collecta (quod e. g. in herba digitali omnino requiritur) an e valle decerpta sit, utrum sicco an humido loco creverit, num sub umbra opacae silvae inventa sit, ubi plures plantae narcoticae majorem vim adipiscuntur, an regione solis radiis objecta. Ipsa extracti alicujus stabilitas saepe de loco pender, quem planta, de qua desumptum est, aliquando obtinuerat. Non minoris est, num planta justo tempore collecta, et rursus num recens decerpta an siccata in extractum conversa sit. Saepe etiam pharmacopolarum negligentia est reprehendenda, quod aut extracta narcotica non ipsi praeparant, sed a droguistis, qui vocantur, desumere consueverunt, aut in illis inspissandis nimio calore utuntur, quare perquam optabile est, ut omnia extracta e plantarum succis parata in balneo aquoso, ut in pharmacopoea Borussica praescribitur, evaporentur. Denique culpa pars, saepe in vitiosa praeparationis praecepta conferenda est, quae illud quod est in dispensatoriis: „usque ad mellis consistentiam evaporetur“, quum extracta hac sub forma vix mensem manere possint, quin odore ammoniacali sparso, dissolutionem sui incipientem significant. Praeter alios etiam Fi-

sher (39. 65. 6. 96) jure animum ad illa omnia advertit, quorum is est necessarius effectus, ut una eademque in urbe, aliis in pharmacopoliis, narcotica extracta alius efficacitatis praescribantur, quo fit ut medici, plane contraria observantes, aegrotis summum periculum minentur. Quamobrem, quantum fieri potest, cavere etiam debemus, ne medicamenta praescribamus, quae, quum rarius adhibeantur, in pharmacopoliis diu intacta jacent. Imprimis igitur exoptandum videtur, ut in narcoticorum extractis parandis, ad ea omnia respiciatur, quae supra attulimus, ut remedia accipiamus ejusdem semper efficacitatis ejusdemque ponderis specifici, eaque aegrotis, nominatim infantibus sumenda praescribentes, hac certe ex parte tutiores simus, neve inter experientorum diuturnorum incommodum et nimiae doseos periculum ambigamus.

§ 15.

Aliquantum praeterea externarum rerum influxu narcoticorum effectus modificatur, secundum quem rursus doseos magnitudo, ut receptivitati respondeat, mutetur necesse est. Coeli temperies, atque victus vitaeque cultus, quantum ad remedii dosin vel amplificandam vel minuendam valeant, ejus rei jam narcoticorum doseos in humida Britannia necessario majores, documenta praebent, quas tamen Girtanner, hujus rei rationem non habens, in compendio suo (9) generatim suadere non dubitavit. Sic propter majorem narcoticorum efficacitatem, minor prae-

beatior dosi tempestate frigida, cute sicca, corpore leviter tantum vestimentis tecto, hiemis tempore; minuatior matutino tempore, augeatur vespere; nec vero denique epidemica constitutio est praetermittenda (32. § 248).

§ 16.

Temporis momenta, quibus narcoticorum doses infantibus porrigantur constituentibus, rursus specialis casus et primae doses effectus est spectandus. Generatim haec fere valent: quo minor dosis est, eo citius iterari poterit; si malo urgente majorum dosium usus indicatus est, majoribus temporis intervallis porrigantur, quum, si alteram addimus, ubi praecedentis efficacia adhuc plurimum viget, effectus saepe perquam vehemens sequatur. Imprimis cavendum est, ne diutius in narcoticorum in infantibus usu perseveremus, quod si tamen in morbis chronicis facere cogimur, tertio, quarto vel octavo certe quoque die narcoticum omittatur, ne tenerum infantis organismum insanabili damno afficiamus.

De opii in infantibus usu.

§ 17.

Opium. „Opium mehercle non sedat!“ praecedente Tralles Brown exclamavit, et eadem vox eorum omnium fuit, qui ex ejus umbraculis processerunt. Sed postquam observa-

tionibus diligentissimis medicamentorum effectus primarios a secundariis accuratius discernere didicerunt, major medicorum numerus veterem illam, de sedante opii vi, opinionem amplexi, effectus quos remedium illud explicet hac fere ratione descriperunt. Opium (32. § 249 — 314) minima dosi porrectum nihil efficit nisi ut, (quod praecipue mutata secretionem emergit) auctam nervorum abdominis receptivitatem minuat, simulque motum peristalticum quodammodo relaxet: nam et mucus intestinalis parcius seceritur, et urina minus aquosa, quum contra perspiratio cutanea atque bilis secretio auctae appareant, et organa abdominis largiore et magis carbonisato sanguine repleta sint. In altiore effectus gradu, organismi contra accrescentem et in totum systema nervorum periphericorum se propagantem depressionem, reactio, in validiore individuo, vividiore systematis vasculosi actione cognoscitur, unde illa omnia: turgor vitalis auctus, caloris evolutio, sensorii functionum omnium incitatio, simul vero congestiones ad caput, ad pulmones, vel ad organon aliquod ad eas dispositum. Processus vitales celerius decurrunt, quo etiam fit ut citius quietis desiderium sequatur et somnus naturalis. Ubi autem energia minor est, ut nominatim eo actionum vitalium statu qui in infantibus observatur, receptivitate raptim et directe deminuta, et secretionibus modo eo, quem supra exposuimus magis magisque mutatis, vires organismi multo directius ac celerius exhauriuntur, et dum brevis exaltatio saepe vix animadvertitur, depressio eo perfectior et diu-

turnior evadit. Quo major dosis et quo minor simul systematis nervosi energia, eo propius ad ipsum soporem accedit somnus medicamenti usum sequens, donec, ut in vera narcosi fit, post paralyticum cerebri statum excitatum, nervis vagis paralyti ictis, respiratio cessat, et denique etiam arteriarum pulsus et cordis palpitatio extinguuntur.

§ 18.

Quorum quidem effectuum respectu, opii in infantibus usum tantum in statibus cum aucta receptivitate athenicis, indicatum habebimus, praesertim ubi simul sanguinis vitalitas, ipsius sanguinis vel aliorum succorum evacuationibus, aliquantum comminuta est (39. 69. 1. 52). Quare indicationem hancce inveniemus nonnunquam ubi dolores stimulis vel internis vel externis excitati sunt; praeterèa in convulsionibus, in trismo et tetano, in statibus organorum respirationis spasticis, in colica, in tenesmo, in ischuria, — in febre intermittente mere nervosa, porro in agrypnia et denique in extrema dimicatione. „Nullum enim ubique aliud invenies remedium,“ ait Hufeland, „quod tantum moribundis levamen afferat, quantum opium, quam unicam ob causam jam unum ex summis duci potest Dei O. M. donis, nec ipso somno, fratre ejus, minoris aestimandum.“ (39. 69. 1. 64) Adhibendum erit praeterea hoc nostrum remedium interdum in infantibus diarrhoea, vel cholera, vel dysenteria, vel gastromalacia, vel diabete laborantibus, vel ubi ex-

anthea quodvis acutum aut nervosum aut putridum induit characterem etc.

§ 19.

Quo eximio et plane incomparabili pretio opium etiam in infantum morbis esse possit, scriptorum medicorum longe plurimi consensu testati sunt. Sic illud Hufeland summum vocat remedium, et quo multis in casibus vix careas (1. 56); Henke rursus (15. 1. 233) hoc solo nos saepe aliquid efficere posse contendit, ubi a ceteris remediis omnibus destituamur; idem fere Muekisch (4. § 418), et Tourtual, illud quo loco et tempore apte adhibitum miros effectus prodere edicit (20. 28), ut sine dubio etiam ad opii in infantibus usum referre liceat Wedellii dictum (in opiologia): „sacra vitae anchora circumspecte agentibus est opium, cymba vero Charontis in manu imperiti.“

§ 20.

Hanc tantam opii, scienter in infantibus adhibiti, utilitatem non exaequat tantum sed vel longe etiam superat irreparabile damnum, quod usu ejus inepto et incauto contrahitur; quamobrem jure semper monuerunt, ut ab ejus periculis quam maxime caveretur. Praeter ipsam narcosin, quam in infantibus saepe minima etiam opii dosi effici posse, pluribus documentis probavit Storch (8. 4. 384 — 392), cujusque rei Hufeland exemplum adtulit admonitionis plenum, quo infantem recens natum, primis vi-

tae diebus cochleario minore Reiquiei Nicolai (Kinderruhe, Allerleilust) ad summum igitur dimidio grani opii sumto, ad ipsum vitae discrimen adductum, et apta demum curatione septem dierum morti ereptum esse narrat, quo factodens proruperit, cuius tam praematuram evolutionem et ipsa fortasse opii vis adjuverit (39. 11. 2. 148); — praeter hoc, inquam, apertum vitae discrimen, saepe opium fallaci suo effectu fere non minus periculi creat, quum etiam in infantibus, quorum non sunt nisi fere externa signa, has quasi laborantis naturae voces extinguens, efficiat ut medicus nihil agendo tempus terat, et vel ipsum auxilii ferendi momentum praetermittat. (39. 69. 1. 67) Frequentius adhibitum sensibilitatem organismi, ut in se ipsum, ita in alia remedia obtundit, immo usus ejus in consuetudinem, in desiderium, denique in veram opii cupidinem vertitur. Sed minus etiam et rariorum dosium abusu opii vim infelicem per imperfectam et cerebri et totius corporis infantilis organisationem propagari videmus, cujus rei vestigia per omnem aetatem in turbata et corporis et animi evolutione deprehendi solent. Modo enim stuporem, modo fatuitatem, modo imaginandi vim morbose auctam animadvertimus; interdum propensio exoritur insignis aut ad hydrocephalum acutum vel chronicum, aut rursus ad spasmos per omnem vitam durantes, ad hysteriam et hypochondriam, vel denique assimilatio continuo prostrata jacet. Hunc igitur opii abusum ut caveamus, ab omnibus fere scriptoribus admoneamur: sic e. g. jam Storch (8. 4. 392) opium

vocat: „ein Katzenmittel, das vorn leckt und hinten kratzt,“ — inter recentiores vero Wendt (17. § 3) infantibus nondum annum natis remedium illud nullo in morbo, ne minima quidem dosi porrigit, qua tamen in re, meam ad sententiam, justo severiorem se praebet.

§ 21.

Nam contraindicationibus omnibus diligenter perspectis, et quantum fieri potest remotis, sola infantis aetas opii usui, alias revera indicato, jure non obstat. Dico equidem ubi opii usus indicatus est, i. e. ubi remedium aliud, quod vices ejus sustinere possit nullum est; nam in infantibus praecipue nullo pacto de hac declinandum est lege, remedium ne morbo periculosius sit. Vetatur autem opii usus energia nimis collapsa cum proclivitate ad dissolutionem, praeterea plethora, systematis vasculosi nimia mobilitate, actione febrili et inflammatoria, propensitate ad congestiones imprimis caput versus factas, sordibus primas vias insidentibus, et denique proclivitate ad obstructions. Ex quo elucet imprimis inter aliquem evolutionis processum, opio summa cum cautione et circumspectentia utendum esse. — In transcursu tantum hic moneam, in gravida etiam femina, dum uterus ad novam actionem excolatur, opii usum fortasse indicatum morbi alicujus symptomatibus, mihi aliquantum coërcendum esse videri, ne, aut congestionibus eo excitatis, contractiones musculorum uteri maturius excitentur, eoque abortus periculum adducatur, aut

rursus mutata uteri vitalitate, etiam locus evolutio turbetur.

§ 22.

Quantum vero medicorum, de opio singulis quibusdam in morbis vel admittendo vel respuendo, sententiae inter se dissideant, aliis alio pondere indicationes et contraindicationes metientibus, jam aliquot exemplis probandum mihi sumo. In scrofulosi Neumann (25. 2. § 38) opium omnino rejicit, quod Girtanner (9. 356) eodem in morbo principale remedium habet, eam solam ob causam non plures infantes scrofulosi liberari contendens, quod medici ab opii usu tantopere abhorreant. Hufeland denique justum ei locum tribuit, dum illud, tamquam remedium obstruens, et usu, hoc in casu necessario diuturniore, concoctionem nimis debilitans, aliis narcoticis postponit, contra vero summam ab eo exspectat salutem, ubi in ulceribus dolentibus externe adhibeatur (23. 130). In tussi convulsiva, quam ad sanandam certis quidem in epidemiis, omnes fere consensu opii usum directe indicatum viderunt, inter quos Weikard (11. 116) se eam 8—12 diebus hoc remedio extirpasse praedicat, plane respuit a Joerg (18. § 720), et jam Stoll exclamavit: „cave ab opio!“ In trismo, ubi ceteri omnes singulis in casibus ultimam et unicam in opio spem posuerunt, secundum Neumann (25. 4. § 489) mortem tantum accelerat. In diarrhoea quae in dentientibus saepe observatur, ubi permulti opio omnino abstinent, Girtanner „sine

ulla dubitatione“ duas tincturae thebaicae guttas praescribit, altera quaque hora sumendas, (9. 115) adjiciens: „infantes opii usum egregie ferunt;“ dum Wedekind, si hoc in casu opium indicatum sit, unam tantum illius tincturae guttam, eamque semel in diem praebendam commendat (39. 9. 1. 37). In infantum agrypnia, ubi jure plurimum reformidatur, si modo narcotica indicata sunt, opii et acidi hydrocyanici usus rarissime et summo tantum in discrimine defendi poterit; nam opium somnum non excitat nisi inebriando, ac hydrocyanicum vero obstupesciendo; — ubi vero multo minus noxiis narcoticis indirecte somnum adducentibus, et rursus ubi mere mitigantibus et placantibus hypnoticis locus sit, suo tempore explicare studebo.

§ 23.

Quod ad vias adinet quibus opium applicandum sit, lectorem benevolam ad ea relego, quae § 10 generaliter dicta sunt. Plerumque, idque praecipue ubi congestiones ad caput et sordium gastricarum retentionem timeas, ingestio per intestinum rectum, et quidem ad summum, dosi duplicata et intervallis duplo majoribus, usui proprie interno praeferenda videtur, quo in casu Tourtual, (20. 29) perquam apte, rectum antea clysmate aperiente purgandum curat. Quodsi fieri ullo modo potest opii applicationem ad cutem restringas, quam quidem methodum, praecedente Hufeland (1. 336), permulti commodam cognoverunt. Laudat ille tamquam

imprimis leuam, simul vero saluberrimam, infriktionem opii et camphorae α β cum. empl. de galbano croc: in plantis pedum, vel aliis in casibus opium cum ung. althaeae, prout hoc vel illud organon aegrotet, vel pecciori, vel abdomini, vel spinae dorsali infricandum. — Infriktiones opii in temporibus et aliis capitis partibus cum summa cautione instituantur, quum inde (31. 456) nonnunquam deliria et vehementes spasmi exorti sunt.

§ 24.

Ex omnibus formis, pulvis opii puri maximam praebet securitatem, quamobrem, meam ad sententiam, vel ipsi mitiori, minus excitanti (licet Orfila (28. 81) contrarium contendat) et merius narcotice tantum agenti extracto aquoso interdum praefendus est; dum rursus extracti resinoso — spirituoosi in infantibus nullus omnino videtur usus. Quam incerta sit opii vis in tincturis, quae jam propter vehiculum spirituosum et ex parte etiam propter additamenta aromatica in infantibus minus commode adhibentur, jam Hecker (39. 9. 2. 66) demonstravit; quare Fleisch (12. 2. 427) aliorumque, ob certiores distributionem, tincturas in infantum morbis commendantium opinioni, calculum non adjiciam. Idem magis etiam de aqua dest. opii valet. Profecto opus est ut de bonitate opii puri, quod e pharmacopolio accipimus, nobis persuasum sit; quod tamen in hoc facilius est factu, quam in extractis et tincturis, in quibus quantum opii contentum sit, ne religiosissi-

mus quidem pharmacopola certo affirmare possit. De vetustioribus opii praeparatis, saepe omnino inepte commixtis, massam pilularum de cynoglossa hodiernis temporibus Tourtual (20. 30) in infantum morbis praedicavit; num jure, periti medici decernant, quod donec factum sit, fidem ei denegare liceat. — Quoad usum externum, emplastrum opiatum officinale saepe non respues, multis autem in casibus jure aptiores habebis compositiones magistrales. Opiniones de alcaloidorum opii et de acidi meconici effectibus adhuc prolatae, in uniuersum tantopere inter se pugnant, ut propter hanc indiciorum incertitudinem praecipue in infantibus omnino illis abstinendum esse censeam, etsi Richter syrupum ex Morph. acet. grj in aquae destil. \mathfrak{z} soluto, cum syrapi comm. \mathfrak{z} XV, tamquam remedium antispasmodicum infantibus imprimis aptum commendat (2. 306).

§ 25.

Si jam de additamentis quaestio est, ex omnibus calomel tamquam vim opii obstruentem tollens, et ipecacuanham, praecipue probata illa forma officinali pulveris Doveri, tamquam corrigens potestatem cerebrum infestantem, fere unice admitam, ita tamen ut singulis in casibus clysmatum aperientium simul adhibitorum, vel frigoris, summam utilitatem esse posse, non infitior. Quamquam et conjunctionis opii cum chinino (20. 30) in febre intermittente, et cum extracto chinae (15. 2. 207) in tertio stadio tussis convulsivae, non invalida est auctoritas;

contra nitri et aliorum salium mediorum adjectionem, jam Henke (57. 4. 837) optimo jure omnino ineptam habet, cum illorum plane contraria sit potestas. Non minus cavendum mihi videtur, ne, nullo parvuli naturae respectu habito, magistrales, quae Girtanner, Feiler, Henke aliorumque compendiis additae reperiuntur, formulas temere imitemur.

§ 26.

Difficillime vero dosin constitues. In universum ea valet lex, ut quo major receptivitas sit, eo minoribus dosibus, eoque saepius infantibus opium porrigas, primum pededentim usque ad perspicuum effectum ascendens, deinde vero eodem tenore relabens, quo facto, quamprimum aliud remedium minus anceps illius in locum sufficias. Tantum si magis obtinet torpor, ut in trismo vel tetano, opium majoribus in dosibus, simul vero eo rarius aegrotis praebetur, scilicet pro temporibus quarta vel etiam octava quaque hora, quo casu, si modo statim cum aucta sensibilitate, dosis gradatim minui coeperit, non timendum erit, ne spasmodum sublatum, letalis opii effectus sequatur, ut Sundelin narrat (24. 9. 179) cujus ideo praeceptum, quo infantibus recens natis in trismo tantum sextam decimam grani partem bis vel ter in diem praebere jubet, eamque cum ipecacuanha compositam, nimis declinat de optimorum medicorum placitis. — Etsi Girtanner (9. 115) in diarrhoea chronica infantum dentientium binas tincturae guttas altera quaque hora, et in

diarrhoea inter stadium suppurationis variolarum obtinente (9. 179) parvulo 3 — 4 annorum vel etiam ternas ad quaternas guttas quoque bihorio, donec diarrhoea suppressa sit, „sine ulla dubitatione“ porrigit; si porro Jahn, vir alias cautissimus, qui ipse contendit (10. 177) opium proprie non esse in infantibus adhibendum, quamdiu ullo pacto eo abstinere possimus, tamen (10. 194) in diarrhoea, in colica cum diarrhoea conjuncta, et in cholera infantum 2 — 3 gutt. quoque bihorio dandas censet; si Kahlis (39. 68. 2. 92) tussin convulsivam magnis opii dosibus celeriter (quod summum habet) sanare conatur; etsi denique Plenck (p. 43) infantibus qui cholera laborant, ternis usque quaternis horis totum opii granum, quamquam cum calomelane conjunctum, praebet, eumque Feiler (13) imitatur, medicus tamen cautus eorum exemplum non sequetur. — Contra Hufelandii consilium respiciendum est, qui suadet (39. 69. 1. 67) ut parvulis tenerimae aetatis una tantum gutta cum saccharo contrita quadripartita porrigatur, quod idem etiam Henke (15. 2. 207) facit, statuens ut in diem non amplius duae guttae omnino adhibeantur, dum in parvulis 4 — 6 annorum usque ad 6 — 10 gutt. ascendere liceat. Quod et ipsum pro praeepto universali nimium mihi videtur: nam 10 gutt. tincturae thebaicae circiter unum opii granum continent; equidem vero puerum sex annorum, qui contra dysenteriam vires exhaurientem intra nycthemeron grani dodrantem cum ipecacuanha \bar{a} sumserat, sopore e morte correptum vidi. Sic porro Mathaei (37. 3. 225) infantibus nondum annum natis quarta quaque

horae parte et vel singulis etiam horis (in tussi convulsiva) dimidium tantum guttae quadrantem praebet, quo facto si aegri status 24 horis post non mutatus apparet paullatim ascendere incipit. Sundelin (24. 9. 98) rariorum dosium, ut videtur, amans, infantibus antequam secundum annum expleverint, quadrantis grani quartam partem indies tantum bis vel ter dandam commendat; Muekisch (4. § 419) parvulis 2—3 annorum octavam grani partem praebet, id vero quoties repetat incertum reliquit; Jahn (11. 118) in tussi convulsiva parvulis 1—5 annorum eandem dosin altera quaque hora, et Carns (22. § 1706) denique infantibus lactentibus qui convulsionibus vexantur, antiphlogisticarum vel gastricarum indicationum respectu habito, 1—2 gr. in intervallis vacuis porrigit. — Ita compositis clarissimorum medicorum indicibus, non est quod ipse aliquid adjiciam, quippe qui omni fere experientia adhuc vacem; suadeo potius, ut his omnibus comparatis, singulo quoque in casu electam habeas dosin huic accomodatam.

§ 27.

Si post nimium opii usum narcoseos symptomata in infantibus in conspectum veniunt, venenum illud quamprimum emetico remove tentes, cui ne nimium liquoris addas Orfila (28. 109) vetat, quia illo absorptio opii adjuyetur; in magno autem rerum discrimine statim venae sectio instituitur, eaque si fieri licet, venae jugularis. Ejecto demum opio, acidum aliquod vegetabile cum aqua commixtum, et calidam

valentem infusionem coffeae, parvis quidem in dosibus, sed sexta quaque horae parte, alternatim praebes. Praeterea aegroti, lectulo continuo calefacto incubanti, majoribus intervallis clysmata aperientia et excitantia, cum paullulo camphorae applices, et extremitates ejus scopulis fricandas cures. Eo etiam quod infantem in aquam frigidam immergebant (39. 9. 1. 58) vel nive abdomini imposita, frigidissima clysmata applicabant, nonnullis in casibus salutem aegroti expediverunt.

§ 28.

Capita papaveris albi. (32. § 315.) Quum nec systema vasorum irritent, nec vero cerebrum afficiant, sed parvis in dosibus data, systema nervorum periphericorum directe relaxare et sedare videantur, in omnibus infantum morbis, ubi opii vis obstruens et irritans timenda est, merito commendarentur, si effectus eorum certior esset. Tantummodo recens collectus fructus exiguum odorem narcoticum spargit, vetustus omnino non olet, et tamen eo quod syrupo cap. papav. albi seu diacodio pro potione somnifera abusi erant, eadem fere quae opiatas in infantibus mala excitaverunt. (8. 4. 220 et 385.) Quem dum Wendt ideo omnino evitandum censet (17. § 5), Jahn (34) vero dulce venenum vocat, Tourtual (20. 50) contra jucundissimum habet remedium cujus cochlear minus neonatis quoque vespere praebet. Sed quamquam hac in dosi datus, certe parvulis paullo

provecioris aetatis raro nocebit, maximopere tamen monendum est, ne medicamentis pro indifferente syrupo adjungatur, quum si puro opio simplicem syrupum addimus, jam id nobis commodi inde eveniat, quod opii dosin accuratius consituere possumus. Contra minime laudem meretur, quod pluribus in pharmacopoeis novissime editis, syrupus opiatus officinalis „loco syr. diacodii“ ut ferunt receptus est, quum ea re facile perniciosi errores oriri possint. Seminibus ipsis nullam vim narcoticam inesse exemplo quod Hufeland (l. 490) attulit facile cognoscitur. Quum enim puer sex annorum per dimidium horae, ad minimum tres libras seminum papav. alb. comedisset, nullo alio malo vexatus est, nisi obstructione alvi mere mechanica, quae tertio die idoneis laxantibus sublata est.

Merito abolevit usus florum papaveris Rhoeados, quibus olim tanquam remedio pectorali narcotico utebantur; eorum enim efficacia omnino nulla esse videtur.

§ 29.

Jahn (34) plura remedia narcotica insignibus laudibus effert, quippe quae sine ullo noxio effectu eandem in infantibus vim exercent, quam narcotica illa efficacissima: opium, belladonna, acid. hydrocyan. etc. in adultis. — Quamobrem et illa omnia hoc loco ordine examinare liceat, tametsi eorum duo tantum prima opii aliquatenus similia habeantur; sunt vero: crocus, hb. cannabis sativae, sem. lycopodii, rad. paeoniae. lignum visci quercu.

§ 30.

Crocus: (52. § 317), narcoticum odoris obstupefacientis, qui fere semper sibi constat, ea parte cum opio congruit, quod parva in dosi placat, simul vero, etsi lenius, systema vasorum incitat; majore autem dosi datum vertiginem, stuporem et soporem provocat. Praeterea vero ut omnes secretiones, ita etiam membranarum mucosarum secretionem leniter auget nec obstruit instar opii. Externe adhibitum dolorem mitigat, irritationem inflammatoriam solvit atque suppurationem adjuvat. Jam Boerhave crocum multum celebravit; Jahnio vero in infantum morbis crocus „sacra est anchora“ in statibus mere spasticis, praecipue systematis respirationis; Hufeland (l. 555) eum in tussi et catarrhis tanquam remedium mitigans praedicat, nec minus Tourtual (20. 27) effectum ejus placantem et solventem in dolente et spastica tensione abdominis, cum demissa intestinorum secretionem, atque in asthmate spastico infantum magnopere laudat, nec immerito vaticinari videtur, croco apte adhibito aliquando opii in infantibus usum aliquanto coërcitum iri; licet in statibus febrilibus saepe etiam vitandus sit. — Fere solus Sundelin (24. 9. 102) crocum omnino rejicere velle videtur, quia in infantibus facile narcosin producat, quod tamen abusu tantum fit; est enim hypnoticon mitius inebrians.

§ 31.

Tincturae formam in infantum morbis consensu omnes rejecerunt. — Pulveris sextam vel

octavam grani partem indies pluries sumendam Hufeland commendat (l. c.); syrupi croci Jahn cochlear minus unum porrigit; Tourtual (l. c.) aequales syr. diacodii partes adjicit ejusque mixtionis, secundum aetatem infantis lactentis, vespere 1—2 cochlearia minora praebet; quae quidem adjectio mihi non magis probatur, quam abusus ille, quo syrupum croci mixturis quibusdam ad saporem earum mitigandum addunt. — Sub forma cataplasmatum, emplastri, unguenti etc. externe caute adhibitus in infantibus etiam crocus saepe optimo est usu.

§ 32.

Herba cannabis sativae (31. 479) eandem fere quam crocus vim exercet, nisi quod narcoticum est lenius adhuc calefaciens et praevalente nisu in systema uropoëticum tendit. Ei vero etiam effectum esse narcoticum universalem, inde jam colligi potest, quod Orientales et incolae meridionalis Russiae, herba illa ad animum exhilarandum utuntur, quodque nutrices germanicae infantes multum clamantes (s. d. Schreikinder) cannabi pulvinaribus quibus incubant supposita permulcent. — Adhuc tamen medicae ejus vires minus sunt exploratae, quam ut Jahn assentiremur, remedium hocce in cujusque generis spasms porrigenti, quem in usum praecipue decoctum sub clysmatis forma commendat. — Extractum vinosum quod in opii locum substituere volunt, licet laus illa in extenso dubia sit, in tussi convulsiva tamen tentari possit, quum contra hunc morbum in polyclinica Bero-

linensi, 4—12 granis indies datis, optimo cum successu adhibutum sit. (19. 6. 373.) Effectus herbae cannabis leniter inebrians vix nos deterreat, ne eo tamquam remedio hypnotico utamur.

§ 33.

Seminis lycopodii externe applicati effectus mitigans satis est notus. Remedio huic interne adhibito Hecker (31. 193) tantum facultatem involventem tribuit; at quid tum de vi aperte narcotica in systema uropoëticum tendente, qua proxime ad cannabin accedit? nonne Hecker ipse herbam lycopodii narcotice agere confitetur, et majore in dosi porrectam ipsum vomitum et evacuationes alvi excitare? Wedelii quidem senioris testimonium (8. 2. 195), semen lycopodii incubo adhibentis confirmatione adhuc egeat; jure autem medici plures eodem remedio in infantum stranguria utuntur, syrupo e. g. Hufeland (22. § 1702) et Sundelin (30. 1. 124), 10—20 gr. pro dosi, et quidem hic praecipue in stranguria infantum dentientium. Jahn hujus remedii usum, tamquam nervini minus validi, quod vero eam ipsam ob causam valde sensibili infantum organismo imprimis aptum sit, etiam in colicam et tussim spasticam infantum extendit. Fortasse etiam tamquam remedium indirecte somniferum infantum agrypnae ex irritatione systematis uropoëtics profectae adhiberi poterit; alias sane non sufficiet.

§ 34.

Rad. paeoniae. (31. 517.) Narcoticum hocce, quod sane dum exsiccat odor sui

pauulum obstupefacientis, et saporis acris magnam partem amittit, et quum exiguum tantum principium volatile cum multa mucilagine coniunctum contineat, nihil fere habet quod singulari et proprio modo sensus afficiat, quod vero ea ipsa de causa infantum morbis vere destinatum videtur, immerito nunc plane negligitur, quum antiquitus tanti habitum sit, ut poetæ omni rei medicæ „artis paeoniae“ nomen indiderint. (8. 2. 186.) Fabula enim Paeoniam, clarissimi medici filiam, quæ in dearum numerum accepta erat, validum Herculem, quum epileptico paroxysmo vincitus jaceret, adivisse eunquem radice nostra sanasse tradit. — Postea Avicenna. Oribasius, Paulus Aegineta et alii pulveris et extracti radice paeoniae in incubo usum summis laudibus extulerunt, omnemque plantam *ἰφιαλτιαν* vel herbam ad incubum vocaverunt. (8. 2. 194.) Recentioribus temporibus Boerhave et Fr. Hoffmann, hoc remedio saepe utebantur (10. 177); pauci tantum eos imitati sunt, donec tandem ab Hufeland, (1. 316) ut leue remedium morborum infantiae, rursus magno cum studio commendatum est, quippe qui semper saluberrimos ejus effectus in convulsionibus, in febribus dentitionis tempore exortis, in tussi spastica conspexisset. Wendt (17. § 34) monet, ne huic remedio ubique adem habeamus, neve rursus illud in spasmis infantum saepe iteratis intentatum reliquamus, dum Jahn in omnibus infantum spasmis magis universalibus egregias ejus utilitates praedicat.

§ 35.

Pulveris cum paululo syrupi commixti grana

10—15 quoque bihorio vel trihorio porrigantur, vel idem etiam pro adjuvante remediis absorbentibus et laxantibus adjungatur. — Decocto ex \mathfrak{z} parato etiam ad clyisma uti possumus. Pulveris autem, quem prius saepe praescipscent, antepileptici Marchionis, e radice paeoniae cum visco querno vel cum remediis absorbentibus compositi, grana 10—15 p. d. praebentur.

§ 36.

Lignum visci querni. (31. 424.) Remedium hocce tanquam narcoticum mucilagine sua involvens, secretiones non multum auget, receptivitate lenissime relaxat, quamobrem veteribus praecipue in infantum epilepsia et chorea Sti. Viti mirifice probatum erat. Hisdem morbis etiam hodiernis temporibus ab Hufeland (1. 471) et a Wendt (17. § 34) multa cum laude adhibitum est, et Jahn ibi praecipue mirificos ejus effectus praedicat, ubi haud multum intersit, num symptomata spastica extemplo tollantur. Quum lignum visci querni vi sua ad radicem paeoniae proxime accedat, nisi quod fortasse lenius etiam est remedium quam haec, aut ambo conjuncta praebentur, aut decoctum e solo ligno visci (\mathfrak{z} i) non mundato paratum, vel pulveris ligni visci \mathfrak{z} indies. Etiam in diarrhoea, in vomitu atque in dentitione sic dicta difficili, Hufeland remedio nostro usus esse dicitur. (17. 2. 716.) Equidem et rad. paeoniae et lign. visci, ut remedia mere sedantia, in quieto somno infantum adhibenda commendaverim, nempe ubi nullam inveneris materialem turbatae quietis causam.

§ 37.

Sem. phellandrii aquatici. (32. § 3236.) Mitem narcoticum effectum cum remedium balsamicorum effectum conjungens, medicamentum hocce secretionis simul cum assimilandi vi auget et corrigit, diminuit vero quum exiguam topicam, tum totius organismi irritationem nervosam, ita tamen ut vis ejus praecipue ad membranam mucosam organorum respirationis et fortasse etiam uropoëseos tendat. Dum in hominibus adultis saepe tantum ut remedium adjuvans et parum certum, mitigandae irritationi nervorum pulmonalium inservit, in infantibus multum valet contra catarrhum inveteratum, contra blennorrhoeam pulmonum et asthma mucosum, contra tussim convulsivam (39. 9. 3. 145) et similes spasticas pectoris affectiones, secundum Jahn vero etiam contra alias nervorum irritationes. Si statu nervorum pectoris ita turbato, placidus somnus infantem fugit, hunc quoque nonnunquam phellandrii usu reducere poteris.

In substantia circiter 5—10 granis bis vel quater in dies, dosi sensim crescente, — in infuso ʒj—ʒj ad col. ʒjV porrigi potest.

§ 38.

Nux vomica (32. § 325) quum nec cerebrum neque nervorum functiones sensiferas afficiat, sed potius primario suo effectu energiam medullae spinalis hostiliter excitet, ideoque nostro sensu proprie inter narcotica non sit numeranda, hoc loco praetermittatur, etsi facile concedo, eam in spasmodicis quibusdam, a medulla

spinali proficiscentibus, in diarrhoea chronica et aliis in morbis etiam infantum, magnam utilitatem praebere posse, et vero spem esse fore ut observationibus accuratioribus de ejus effectu institutis, aliquando multo majorem ex ea, quam adhuc, fructum percipiamus.

De acidi hydrocyanici in infantibus usu.

§ 39.

Primum acidi hydrocyanici puri (32. § 349), chemice parati, et ejus, quod pluribus in vegetabilibus oleo aethereo adnexum invenitur, effectus, parum tantum inter se dissidentes, breviter complectamur. — Acido hydroc. receptivitas nervorum extenuatur, plane non aucta arteriarum actione; sequitur fere generalis secretionum exaltatio, et, cum crystallisationis animalis processu deminuto, aucta resorptio. — Altiore demum effectus, ad cerebrum etiam se propagantis, gradu, aperte cognoscitur vis ac. hydroc. omnem energiam, omnemque vitam directe deprimens, quae nisi statim mortem provocat, non minus fere celeriter evauescit, quam apparuerat. — Sensibilitas imminuta, relaxationis et euphoriae cujusdam sensus, saepe unici sunt volucres impendentis periculi nuntii. — Plerumque igitur statui magis athenico palliative tantum adhibitum, acid. hy-

droc. in magna virium exilitate jure extimescentur. Levabit eos praecipue spasmos et dolores, qui irritatae arteriosi systematis actioni se adiungunt, vel, hac jam mitigata, perdurant. Nunquam etiam multum juvabit in statu secretionum a norma aberrantium vel etiam in organorum indurationibus. Iam vero, quum acid. hydroc. magis etiam quam opium ab organis aliis alio modo excipiantur et noxii ejus effectus saepe raptim perspiciantur, pro sacra est lege, ut illo utentes ad mutationes omnes status morborum, praecipue infantum, qui quid sentiant ne eloqui quidem possunt, acriter animum attendamus. Quamobrem Richter (2. 265.) jure moxuit, ne aegrotis vel iis quibus aegrotantium cura commissa est, medicamentum aliquod, acidi hydroc. aliquanto majorem quantitatem continens in manus tradamus, praesertim quum remedium hocce ad speciem insens, et grato infantibus sapore sit. Quod autem (p. 266) contendit infantes acidi hydroc. usum melius ferre quam homines adultos, ea in re et ratione et experientia refellitur. Ne id quidem ei concedemus, acidum hydroc., quia nec alvum obstruat, nec congestiones ad caput excitet, in infantibus curandis opio anteponendum, et saepius quam hoc adhibendum esse, quum eorum tantum memor quae acidi hydroc. usum suadent, incommoda ejus multo graviora praetermissis videatur. — Acid. hydroc. purum, chemice paratum, ut venenum saepe jam minima in quantitate mortiferum, quod, quum nullo in liquore, quo diluatur, diem unum manere possit, quum ejus mixtio dissolvatur, valde incerto est effectum, — fortasse ne a-

Adultis quidem, nedum infantibus ullo pacto praebendum est. (59. 57. l. 144.) (56. 190.)

§ 40.

Non dissolvitur compositio acidi hydroc. in Cyanuretis Kalii et Zinci, in aqua solubilibus, quorum posterius varie commendatur, et saepe optimo cum successu etiam infantum morbis adhibitum est. Hufeland nominatim in epilepsia cum helminthiasi vel cum dentium aharumque partium evolutione conjuncta, magnum ex eo fructum cepit; idem Richter (2. 279.) qui illud, priori casu, pulveri rad. jalappae et sem. cynae admiscere suadet. Prae ceteris vero omnibus Pagenstecher (58. 2. 294.) multum id praedicat, tanquam remedium specificum asthmatis thymici non tantum palliativum, sed nunquam etiam radicale. Hecker decimam, Vogt sextam grani partem principio bis vel ter indies sumendam praescribit; Pagenstecher autem infantibus dimidium grani usque ad granum totum bis vel ter indies sine ullo damno praebuit, ita tamen ut raro usum remedii ultra 3 dies produceret.

§ 41.

Aqua laurocerasi, Aq. amygdalarum amararum, ut omnia remedia narcotica a regno vegetabili desumta, secundum locum, quem planta vivens obtinuerat, secundum modum et rationem conservationis, secundum tempus longius vel brevius postquam remedium ex

ea paratum erat, praeterlapsum, vi et efficacitate differunt, nec ideo plane certos effectus praebent. — Sed cum in iis acidum hydrocyanicum oleo aethereo adstrictum, minus vehementer agat, quum porro minus celeriter in partes suas dissolvatur, et propter largum vehiculum aquosum accuratiorem distributionem admittat, a multis merito tanquam optima acidi hydroc. praeparata laudantur, quaeque infantibus etiam maxime convenient. Muckisch vero (4 §. 416.) non sine causa etiam ex his laurum cerasum infantibus adhiberi vetat, quum aq. amygd. amar. remedium nobis praebet, quod licet acidum hydroc. gravius oleat et sapiat, tamen levius est et minus anceps. Idem remedium praeter alios etiam Wendt (17. §. 44.) et Tourtual (20. 25.) in infantum morbis multum commendaverunt. Optimo cum successu eo utuntur in malis infantum dolentibus et spasticis, ubi, contra ac opium, simul irritationem systematis vasorum placide sedat; — in affectionibus nervosis consensualibus, a stimulo ascaridum profectis, in colica, in tussi irritativa februm exanthematicarum, in tussi convulsiva cum respiratione agitata, et impetibus dolorificis. Morbo quem ultimo loco posuimus, Richter (2. 252) quidem aquam amygd. amar. non nisi frustra tentatis aliis narcoticis adhibet, dum contra Kahleis (39. 68. 2. 95.) eodem in morbo ipsum acid. hydroc. Vauquel., idque parum caute, dosibus satis magnis, praebet. Tourtual aquam amygd. am. remedium radicale habet scrofularum floridarum, praecipue vero phthiseos scrofuloso — tuberculosae. Non fere minor ejus est utilitas in mor-

bis inflammatoriis pectoris et abdominis, ubi sensibilitas, praecedente antiphlogisticorum usu, aucta, mitiganda est.

§ 42.

Si aquam amygd. am. per intestinum rectum ingerere placet, dosis ne nimis audacter augeatur, sed ad summum duplo major fiat. Externum acidi hydroc. usum, justo magis adhuc neglexerunt. Ideo vel ubi aqua amygd. am. in infantibus externe uteris, non fere minus cautus esse debes, quam ubi interne, idque eo magis quo major facies est, cui remedium adhibetur. In variis exanthematibus, cum pruritu et uredine conjunctis, lotiones aqua amygd. am. factae, semper permultum levaminis afferunt, eo-que somnum, fortasse jamdiu desideratum, conciliare valent. Cave tamen ne interne data aqua amygd. am. idem efficere tentes, quum medicamenti dosis, qua hanc in rem opus esset, infantem facile omnino obstupesceret et interficeret, nisi forte tibi contingat, ut parva etiam aquae amygd. am. dosi irritationem aliquam topicam lenias, quae insomniae causam praebuerat.

Vapores aq. lauri cerasi ʒi, quos Brosserio (19. 3. 281.) ex arena modice fervente ascendentes, spiritu hauriendos, multo cum successu in tussi convulsiva praebet, satius tuto periculum avertant, in medio relinquo; Brosserio certe eorum usu, sex dies continuato, sanitatem perfecte restituit. Num reperti sunt, qui eum imitentur?

§ 43.

Aquae amygd. am. antispasmodica varia, et adjuvantia et corrigentia adjicere licet, et ipsa rursus statu morbi usum ejus indicante, emulsionibus nonnunquam saporis causa etiam guttatim admisceri potest. Dosis in usu hujus remedii continuo imprimis parva fiat; sed etiam ubi symptomatibus nervosis gravioribus adhibetur, videndum est, ne parvulo $\frac{1}{4}$ annorum amplius 3 — 4 gutt. singulis horis, vel altera quaque hora praebentur. Pro portione aetatis et receptivitatibus nunc major, nunc minor dosis eligenda est; aperte autem nimis audacter Pischalt (39. 62. 6. 49.) convulsionibus neonatorum singulas guttas, infantum lactentium nonnullis mensibus majorum, binas guttas singulis horis adhibet.

§ 44.

Quamquam non est quod Orfila (28. 141.) contradicas, acidi hydroc. antidotum nondum inventum esse contendenti, et licet nominatim in infantum veneficiis, plerumque ne symptomatum quidem levamen afferre possit, tamen, ubi veneficium factum est, vomitoria tentes, evacuationem sanguinis insituas, externae et internae caute spiritum salis ammoniaci adhibeas, — vel olei terebinthinae et coffeae periculum facias.

De narcoticorum acrium in infantibus

usu

§ 45.

Rad. belladonnae. (32. §. 391.) Tau-

ma in statu nervorum creberrimo, parvo effectus gradu, belladonna receptivitatē, eamque fere solius systematis gangliosi aperte dimittit, simul vero circulationem sanguinis exaltat, et congestiones ad caput atque organa ad eas disposita, excitat; quo facto vegetior secretio praecipue in cute, atque in membranarum mucosis et serosis existit, et totus liquefactionis processus augetur. — Altiore effectus gradu affectio inflammatoria organorum ingestio, siccitate oris, siti etc. apparet; irritatio systematis vasorum ad veram febrem aggravescit, cerebrum etiam et sensuum organa afficiuntur; vertiginem et ebrietatem vel atrociam deliria sequuntur, donec haec irritatio generalis vel in soporem, vel statim in paralysem et dissolutionem organicae materiae transeat.

§ 46.

Belladonnae usus etsi non unice, magis tamen indicatus est in morbis organismo altius inhaerentibus chronicis, characteris asthenici, praesertim qui nexu causali cum systematis sensibilis pathematibus conjuncti sunt. Quare, nisi aut irritatio inflammatoria systematis vasorum, aut congestiones ad cerebrum obstant, tanquam remedium dolores et spasmos mitigans adhiberi potest; vel etiam ut nervorum influxus in processum vegetationis turbatum atque atonia vincitum permutetur. Summa autem cum diligentia organorum digestionis status est perscrutandus, si Belladonna uti nobis proposuimus, quum haec non tantum narcoticum sed simul acre sit remedium.

§ 47.

Tantum abest ut jam singulos omnes casus, quibus belladonna etiam in infantibus uti liceat, perlustrare cupiam, ut potius, eos tantum accuratius examinare mihi proposuerim, in quibus adhuc cum quadam excellentia adhibita est.

Primum vim belladonnae, tanquam remedii praeservativi scarlatinae, minimis in dosibus multifariam experti sunt, ex quo Hahnemann eam hunc in usum commendavit. Quamquam vero et nunc medicorum mentes contrarias in partes distrahuntur, certamen eo discernendum videtur, ut belladonnam paullo majoribus in dosibus datam, aequè ac alia remedia plura, facilitatem organismi in epidemiam praesentem incidendi, statu systematis nervosi salutari modo mutato, nisi omnino extinguere, aliquantum tamen diminuere posse dicamus. — Tum vim quam belladonna in tussim convulsivam exercent, summis laudibus extulerunt; ea vero demum ad transitum in ultimum stadium valet, vel certe ad statum morbi eum, ubi vigentis inflammationis nullam amplius vestigium exstat, sed merus spasmus sine ulla congestionibus, nisi qui ipso spasmo excitantur, apparet. — Itaque belladonnae usus summa eget prudentia, praecipue ubi infantibus plethoricis adhibetur; nec vero in universum praecipendus est, nisi ubi remedia mitiora non sufficiunt. Hinc, casu eo quem modo descripsimus, Goelis (41. r. 97.) summam belladonnae tribuens utilitatem, tamen jure monet, ut ab hydrocephalo acuto caveat, qui ea abutatur; hinc Jahn (11. 109.) eam praedicat,

modo caute adhibeatur, quum rursus Hufeland (1. 445.) ne ita quidem belladonna uti audeat, et Wendt ibi tantum eam admittat, ubi tussis convulsiva inveteraverit, et omni febre vacua sit. (17. §. 44.) Iniquum vero est Ioergii iudicium (18. §. 720), quo belladonnam tussi convulsivae adhiberi omnino vetat, quia tussis in aliquot horas extincta, postea eo vehementior revertatur, et licet hoc non semper accidat, infantes tamen turbis, belladonnae usu excitatis, magis quam ipso morbo vexentur. Nam caute agentibus nihil ex his omnibus timendum est, quum adhuc tantum usu belladonnae temere interrupto impetus tussis vehementer recidere nonnunquam viderint; et quum remedium illud, quamquam non sanat, magnas tamen tussis intermissiones provocet, respirationem liberet, somnum arcessat, eoque malum aegroti quam maxime levet. — Buchhave pulvere e radicibus belladonnae parato, quam ille primus hunc in usum expertus est et commendavit (35. 14. 4. 614.), tussim convulsivam recentem 4 — 8 diebus, jam vero diutius perdurantem 14 diebus facile sanavit. Post brevem hujus remedii usum vomitus cessavit, alvus laxa mansit; 3io — 4to quoque die emeticum interposuit. — In glandularum denique indurationibus atque systematicis lymphatici obstructionibus inveteratis, nominatim in scrofulosi infantum, belladonnae usus, nonnunquam indicatus invenitur, ita tamen ut non nimis diu continuari debeat. Wendt (17. §. 45.) et Berends (24. 5. 215.) Hufelandium secuti, belladonnam non propinant nisi in perti-

nacis inis glandularum indurationibus, in ulceribus, et in convulsionibus, quae in infantibus scrofulosis oriri solent. Quorum quidem virorum auctoritate facti, quid de Joergii et Neumannii decessis judicare debeamus, quorum alter (19. §. 759) belladonnam semper noxiam, alter (25. 2. §. 50) plane inutilem in scrofulosi habet, — in aperto est.

§ 48.

Folia et extractum radicis belladonnae, propter effectum parum firmum, meam ad sententiam, certe infantibus rarius sunt adhibenda, sed potius palvis e radice recente paratus atque infuso. Hufeland (1. 133.) oxymel belladonnae ut minus venenosum, infantibus magis convenire patat; idem vero minus fidum esse recte objicit Fleisch. (12. 2. 434.) Usui externo extractum magis fortasse aptum est, nam et Rudolphi (19. 6. 379.) et Pieper (19. 5. 279) illud in tussi convulsiva scrobiculo cordis infricandum commendarunt. Denique etiam belladonna nonnunquam uti liceat ad cataplasmata et fomentationes glandulis induratis adhibenda.

§ 49.

Vel etiam minimis et paullatim tantum auctis belladonnae dosibus, praecipue in morbis chronicis caute et circumspecte est utendum. Tanquam remedium praeservativum scarlatinae, duorum granorum extracti in aq. cinnamomi $\frac{5}{j}$ soluti, totidem guttas quot annos infans habe-

bit, bis indies propinaverunt, quum tamen, ut aliquem inde fructum capiamus, dosi remedii multo majore opus sit. Quae vero quanta esse debeat, sola experientia docere potest. — Dosi qua belladonna in tussi convulsiva infantibus praebenda sit, scriptores alii aliam praeceperunt. Satis jam castigaverunt Schaefferum, suadentem (39. 6. 2. 260.) ut infantibus 4 — 8 annorum, mane et vespere \mathbf{i} — 6 grana praebentur, donec infans de siccitate, de oculorum obscuratione, de nascente stupore queri incipiat; contra rursus Wendt (5. §. 355.) alteram in partem modum excedere videtur, dum parvulo 4 annorum non amplius $\frac{1}{4}$ gr. ter indies praebendam praescribit. — Henke (15. 2. 210) radicis $\frac{1}{2}$ — 1 gr. porrigit; Rau (5. §. 355.) extracti $\frac{1}{10}$ — $\frac{1}{8}$ gr., tanquam mediam dosim optime, ut mihi videtur, constituit. — Additamenta, prout hae vel illae indicationes animadvertentur, in tussi convulsiva laudaverunt: ipecacuanham, opium, valerianam, moschum, flores zinci, antimoniaia, senegam et alia; in scrofulosi vero: antimoniaia, mercurialia et extracta resolventia amara.

§ 50.

In veneficio belladonna aut aliis, quae mox sequentur, narcoticis acerbis, facto, Orfila (23. 175) praecipit, ut statim emetica et clysmata purgantia praebentur, et, si opus videatur, venae sectio venae jugularis instituitur, quo facto demum potionibus acidulis locus sit. Remotis symptomatibus nervosis, contra inflammationem,

quae plerumque remaneat. infusa et decocta emollientia praebenda, vel fortasse etiam hirudines nonnullas abdomini applicandas esse docet.

§ 51.

Hérba hyoscyami. (32. §. 438.) *Medium tenens inter belladonnam et acidum hydroc., hyoscyamus receptivitate magis relaxat quam belladonna, eoque etiam magis mitigat, dolores exstinguit, spasmos diminuit, atque systematis vasorum reactionem fere nullam excitat; — contra rursus directius cerebrum corripit quam acidum hydroc., etsi minus saeve obstupesciendi. Opium effectu suo fervefaciente et obturante nostri remedii plane dissimile est. Hyoscyamo cum belladonna commune est, quod remedium utrumque, mutato nervorum influxu, processum tiquefactionis acriter incitat, lenius tamen hyoscyamus quam belladonna.*

§ 52.

Quum hyoscyamus et sthenicis et asthenicis statibus conveniat, et fortasse tantum summo debilitatis et propensionis ad dissolutionem gradu vetetur, aequè aptum videtur acutis atque chronicis morbis, nisi quod lenius agens quam alia narcotica acria, mala inveterata difficilius sanet. Ut unum e mitissimis narcoticis plurimis aliis classis hujus remediis in infantum morbis anteponendus videtur (4. §. 421), nec immerito Hufeland (39. 9. 3. 88.) hyoscyamum sibi imprimis gratum esse dicebat, quia narcoticorum omnium paucissimas contraindicaciones habeat.

Eo majorem admirationem Sundelin nobis excitet necesse est, qui (24. 9. 98.) hyoscyamum infantibus non convenire, nec vero satis efficax esse contendit.

§ 53.

Hyoscyamo specialiter in sequentibus infantum morbis utendum est: a) in febris et inflammationibus ad mitigandum erethismum, aut antiphlogisticis adhibitis, ad auctam, quae remanere solet, sensibilitatem deprimentem, nominatim in nervosis formis febris exanthematicarum, et in inflammationibus variorum organorum respirationis et membranarum mucosarum; b) in convulsionibus, cum febre conjunctis vel febre vacuis, praecipue variarum evolutionis periodorum tempore, qua parte multum laudatus est inter alios ab Hufeland, ab Henke (15. 1. 231.) et nuper a Tourtual (20. 23.), dum Jahn (10. 178) Hufelandii commendationem, experientia non omnino confirmatam invenit; c) in tussi irritativa cujusque generis, ubi Hufeland (1. 334) quodque remedium indicatum hyoscyamo temperare solet; praecipue in tussi convulsiva tanquam leniore remedio, eaque de causa infantibus aptiore, ubi (1. 440.) paulatim vel etiam ad grana sex in dies praebenda, sine omni damno ascendit, dum idem a Joerg (18. §. 720.) plane rejicitur; d) in omnibus statibus organorum uropoeticorum et intestinorum dolentibus et spasticis, ubi effectus opii obstruens extimescendus esset, quum contra hyoscyamus alvum laxet; denique e) in multis chronicis secretionis et resorptionis perturbationibus, et qui-

dem praecipue in serofalis (25. §. 152.); partim ad nimiam receptivitatem temperandam, partim ut praestans remedium resolvens, etiam externe in inflammationibus et ulceribus, dolorem commoventibus. Joerg ut qui omnium narcoticorum in infantibus usum omnino respuit, hyoscyamum etiam serofulis semper nocere statuit (18. §. 759.)

§ 54.

Et formis quibus hyoscyamus praebetur, extractum quod usus sancivit, licet per se non plane certum sit, si modo singulo quoque in casu de ejus bonitate nobis persuasum esse potest, ceteris videtur praefereendum esse. In morborum formis inflammatoriis saepe calomel, in spasticis magis flores zinci, vel aliud aliquod antispasmodicum, in tussi convulsiva secundum Hufeland vinum stibidum hyoscyamo adjicitur.

§ 55.

Dosin Muekisch (i. §. 421.) ita constituit, ut infantibus 2-3 annorum 2-3 gr. extracti in diebus cum aqua vel syrupo cochlearum sumenda praescribat i. e. $\frac{1}{4}$ - $\frac{1}{2}$ gr. p. d., quocum decreto praescripta a Berends, Hufeland, Fleisch et Tourtual de variis morbis data plane congruunt. Clysmati ad summam 2 tantum grana efficacis extracti adficienda sunt.

§ 56.

Ext. lactucae virosae. (32. §. 465.) Ut bonum et efficax fiat, e succo plantae leni calore evaporando, non vero coquendo parandum est (28. 161.). A vero longe aberrant qui (27. 2. 51.) lactucam virosam fortiter excitantem fa-

ciunt, quam potius tere omni parte ad hyoscyamum quam proxime accedat, nisi quod fortasse paullo minore vi est narcotica; quare etiam eodem infantum morbis quibus ille adhiberi posse videtur. Certe quidem ea jam eximio cum effectu ad tussim convulsivam leniendam usi sunt (17. §. 44.). Infantibus tantum gr. $\frac{1}{2}$), dosibus paulatim auctis, praebetur.

§ 57.

Lactucarium. (52. §. 467.) Non loquer de infido illo, e centesio lactucae sativae caulis expresso, et deinde inspissato Thridace Franco-gallorum; sed tantum de succo lacteo, secundum Coxii (2. 184.) indicium, tempore quo planta flores evolvere incipit, ex incisuris circularibus guttatim exstillante, et postea solis calore condensato. — Vacat autem lactucarium oculi vi lervefaciente, obstipante, diaphoretica, vacat effectu acri et resolvente hyoscyami, ventriculorum paulatim debilitante, — vacat denique vi obstupefaciente acidi hydroc, et tamen meam ad sententiam mediam inter postrema tenet locum, ut remedium mere mitigans, et secundum Ganzelii (55.) experimenta, quae in se ipso instatuit, somniferum omnium innocentissimum. Unde jam elucet quantam nobis utilitatem in plurimis illorum infantiae morborum quos, de hyoscyamo dicentes, supra attulimus, aliquando afferre polliceatur. — Ut remedium mitigans et somniferum hyoscyamo praefereendum videtur, et jam praecipue in spasticis pectoris vitis infantibus eximia officia praestitit. Utinam lactucarium mox magis recipiatur in praxim medi-

cam in infantibus exercitam! — Parvulis 4-6 annorum circiter $\frac{x}{\alpha}$ - $\frac{x}{\beta}$ gr., dosi paulatim aucta, porrigatur.

§ 58.

Stipites dulcamarae. (32. §. 474.) Remedium hoc leniter et paulatim resolvit, secretiones corrigit, eoque mixtionem normalem restituit, et non facile, nec perturbationes digestionis, nec alia symptomata secundaria ingrata excitat, sed potius exiguo suo narcotico principio etiam parvam irritationem et spasmus mitigare valet. Quare non Frankium jun., stipites dulcam: meas stipulas habentem (10. 587.), sed potius Hufelandium sequemur, qui (23. 134) magnis laudibus eas ornat. — In morbo scrofuloso remedia roborantibus, tanquam sanationem radicalem optime adjuvantes, addi possunt; summae hoc in morbo etiam utilitatis sunt in ulceribus, et exanthematibus chronicis, inprimis autem in affectionibus pulmonum scrofulosis: in tussi, asthma, blennorrhoea, doloribus, tuberculis, ubi simul et irritationem tollunt, et mucii secretionem corrigunt, et vero leniter roborant. Ioerg vel ipsius dulcamarae usum in scrofulis timet (18. §. 759.), propter effectum secundarium, quem diutius adhibita, in systema nervosum exercent. In tussi convulsiva dulcamara aliis remediis principatum concedat necesse est. Hufeland eam sub forma decocti et quidem ea ratione porrigit, ut cum $\mathfrak{z}ij$ — $\mathfrak{z}\beta$ quotidie praebendis incipiat, indeque paulatim usque ad $\mathfrak{z}ij$ — $\mathfrak{z}ijj$ ascendat, donec effectus aliquis narcoticus appareat; quo modo, quid dulcamara possit, optime cognosci censet.

§ 59

Postremo huic remedium seriei conium et digitale adjungamus, quae licet a Vogt in acrium numero habeantur, non rarius tamen propter narcoticum effectum nunc infantibus adhibentur, nunc studiose ab iis arcentur.

§ 60.

Herba conii maculati s. cicutae (32. §. 2357.). Omnis sensibilitas, altiore cicutae effectu, aperte minus sedatur, quam deprimitur, idque ita ut nulla reactio sequatur. Sed minoribus etiam in dosibus praebita, vim quam in systema vegetativum exercet, perspicue demonstrat resorptione paulatim et leniter aucta, et tarda metamorphosi praecipue quidem in systemate lymphatico, sed etiam in membranis correcta; quo fit ut in malis chronicis illorum organorum, stagnante fluido lymphatico vel deposita lymphae plastica excitatis, praesertim ubi sensibilitas vel topice vel generatim exaucta est, tenui et incitabili infantum organismo praestantissimum remedium praebat.

§ 61.

Notum est cicutam ab aliis, praecedente Stoeckerio, laudibus ad astra elatam, ab aliis rursus justo magis obtrectatam esse, nominatim ubi de scrofulis agebatur. Cujus quidem rei causa principalis, in plantae et praeparati vi sibi non constante quaerenda est, quum quae supra de plantis narcoticis in universum diximus, prae ceteris omnibus de cicuta valeant. Ab omnibus fere ceteris narcoticis cicuta eo etiam differt, quod in vallibus et regionibus pa-

ludosis multo fortior evadit, quam in locis montuosis. Extractum eximia cum diligentia parandum est, ut efficax maneat; efficacitatis autem signum habere odorem speciei cum minime felinae (39. 9. 5. 89.)

§ 62.

Hufeland (23. 128.) cicuta, tanquam remedio narcotico infantum antiscrofuloso palmam defert, quia minus quam cetera nervos afficiat, digestionem minus debilitet, non excitet, et irritationem miriace leniat. Usus cicutae in scrofulis floridis a nonnullis (17. §. 45.) omnino rejicitur, contra plurimi habetur in scrofulis quas vocant frigidas (24. 5. 214.) praesertim quaediu durant, perquam evolutae, cum obturationibus glandularum conjunctae sunt, simulque adhuc nec suppurationis, nec status febrilis suspicionem movent. (19. 587.) Si suppuratio scrofulosa saniosa et acris est, corrigitur cicuta. Dum Joerg (18. §. 759.) cicutam omnino noxiam habet, Neumann (25. 2. 57.) nullum fere ubique inveniri posse malum scrofulosum contendit, quin cicutae usu aliquantum levetur, ita tamen ut correctio haec status morborum certo quodam gradu consistat, nec ideo morbus ipse cicuta tollatur, sed tantum effectus ejus, hoc remedio magis quam ullo alio, coercerentur. Hufeland (23. 128.) imprimis laudat conitum ulceribus, exanthematibus, bleorrhoeis, tussi scrofulosae, atrophiae interne adhibitum, sed etiam usum ejus externum in emplastris et cataplasmatibus, praecipue vero in balneis praedicat, in quibus rursus a Neumannum audimus, nullus cicutae est usus. — Nostri temporibus hoc remedio in scrofulo-

sis oculorum inflammationibus, saepe contra photophobiam magno cum fructu usi sunt.

In tussi convulsiva immerito a Butter ut remedium specificum praedicatum, tentari tamen potest, ubi vehementiores belladonnae effectus timemus.

§ 63.

Hufeland succi recens expressi 10—60 gr., praeterea vero etiam pulverem vel infusum, Henke autem (17. 2. 257.) pulverem Plummeri libentissime porrigit. Sed ne extractum quidem efficax negligendum est, quod aut in aqua aromatica, aut prout indicationes variant, cum antimonialibus, mercurialibus, terra ponderosa etc. vel cum roborantibus conjunctum, dosibus paulatim auctis circiter 1—2 gr. p. d. bis indies praebemus, non facile Plenkium imitantes, qui paryulo unius anni atrophia laboranti extracti cicutae ℥ij in dies sumenda praecipit (4. §. 298.) Infantibus tenerrimae aetatis Wendt (17. §. 45.) internum cicutae usum non aptum esse censet.

§ 64.

Folia digitalis purpureae. (32 §. 2406)
Hoc remedium parvis in dosibus datum, secretionem urinae aperte augens et actionem vasorum lymphaticorum atque membranarum serosarum acriter incitans, quodammodo etiam mucum solvit, et metamorphosin in membranis fibrosis factam accelerat; ut verbo dicam: auget secretionem et resorptionem, simul vero digestionem, chyficationem et sanguificationem aperte turbat, omnemque vitam irritabilem debilitat; quod primum et praecipue e pulsus mi-

rum in modum deminuta frequentia cognoscitur. Si doses paullo majores praebentur energia systematis nervosi capitis obtusione, demissione animi, membrorum lassitudine perspicue depressa apparet. Indicatus igitur est, digitalis usus ubi motum sanguinis sola receptivitate nervosa aucta acceleratum, retardare, ubi in malis vegetationis resorptionem praecipue vasorum lymphaticorum augere, simulque agilitatem abnormem vel receptivitatem exaltatam sedare cupimus.

§ 65.

Infantum morbi, quibus adhuc adhibita est, sunt:

a) Vitia cordis organica, cum convulsibilitate universali conjuncta, ubi partim symptomata levat, partim aucta resorptione, statum lente inflammatoriam reprimit. b) Febres nervosae erethicae, exanthemata comitantes. c) Inflammationes ad exsudationem inclinantes, praecipue organorum glandulosorum et membranarum serosarum abdominis, pectoris et capitis.—Goëlis (14.1.160.) in hydrocephalo acuto, jam in stadio turgescientiae et inflammationis calomelani digitalem subjungit, si, diminuta sanguinis actione, aucta arteriarum sensibilitas remanet, vel ubi reactione in organis uropoëticis facta, revulsionem efficere cupit. Continuat digitalis usum, ut ceteri medici fere omnes, in stadio exsudationis et vel in stadio paralyseos, ubi eam potius pro potione, dosi non certo constituta, iis ipsis temporis intervallis quibus infans melius deglutire potest, propinandam suadet, quia ea ratione semper placidam mortem sine vehementibus convulsionibus et plerumque sine tetano

sequi viderit. — d) Anasarca cum praevalente exhalatione, originem ducens ex erethismo systematis arteriosi, ut post scarlatinam. e) Omnis tussis spastica, ubi Jahn, (11. 538) digitalem maximopere commendat, dum Wendt (17. §, 44.) eam in tussi convulsiva plurimi aestimat, si vehemente tussi systema vasorum graviter affectum apparet, febris solito diutius durat, aegrotus continuo excitatus, urina parca et rubra, cutis sicca et fervida est, et crebro haemorrhagiae oboriuntur. f) Scrofulae, ubi ab aliis in magna sensibilitate universali, ab aliis in magno systematis lymphatici torpore adhibita, celebratur. Mihi quidem, secundum ea quae Hufeland (23. 135.) probavit, remedium hocce plurimum valere videtur ad extravasata lymphatica et serosa distribuenda, et in asthmate et tussi scrofulosa. — Neumann vero (25. 2. 60.) et digitalem hoc in casu nihili ducit. Jam vero contentplantibus nobis, quantis remedium nostrum clarissimi viri exornaverint laudibus, profecto admirationem movebit, quod Girtanner, qui opio tantopere favet, digitalem propter effectus, ut ait, terribilem in modum vehementes, e materia medica adultorum, nedum ea quae infantibus constituatur, omnino rejiciendam esse censet. (9. 366.)

§ 66.

Usus digitalis, ne nimis continuus eoque noxius fiat, ad minimum 8^o—14^o quoque die ad tempus aliquod omittendus est. In morbis inflammatoriis calomel, in morbis spasticis nervina, in scrofulis denique antimonialia digitali adjiciantur. Pulveris media dosis in inflamma-

tionibus et in tussi convulsiva circiter $\frac{1}{16}$ — $\frac{1}{4}$ gr. efficiat, eaque altera vel quarta quaque hora praebatur (14. t. 163.); infusi $\mathfrak{z}\beta$ in $\mathfrak{z}\text{iv}$ facti, quod Coelis et Wendt (17. §. 11.) praecurrunt, infanti 4 annorum, tussi convulsiva laboranti, altera quaque hora cochlear minus propineur. In scrofulis Hufeland paryulis $\frac{1}{5}$ — $\frac{1}{4}$ gr. bis indies praebet. In morbis cutaneis scrofulosis, in oedemate etc. usus externus foliorum, recens contusorum, plurimum expedire solet.

§ 67.

Jam disserendi finem faciens, me aliis quodammodo abstulisse, quae attulisse juyabat, non nego; simul vero me voti compotem factum esse profiteor, si id effecerim, ut et medicus practicus faciliorem de narcoticorum in infantibus usu prospectum nactus esse arbitretur, et vero vir doctus, qui fortasse aliquando eandem quam nos tractavimus quaestionem aggressurus est, nostro labore operam et temporis jacturam sibi paullulum diminutam esse fateatur.

Libri citati.

- 1) C. W. Hufeland: *Bemerkungen über die natürlichen u. inocul. Blattern etc.* Berlin. 1798.
- 2) G. A. Richter: *Die neuesten Entdeckungen, Erfahrungen und Ansichten in der pract. Heilkunde.* Bd. I. Berlin. 1820.
- 3) H. X. Boer: *Vers. einer Darstellung d. kindl. Organismus etc.* Wien. 1813.
- 4) St. A. Mükkisch: *Beiträge zur Kenntniß d. kindl. Organismus.* Wien. 1820.
- 5) H. Rau: *Handb. d. Kinderkr.* Frankf. a. M. 1832.
- 6) A. M. Schwaneck: *De methodo endermatica.* Dorp. 1835.
- 7) J. Stubendorff: *De eüthanasia medica.* Dorp. 1836.
- 8) J. Storch (Pelargi): *Abhandlungen von Kinderkrankheiten.* 4 Bde. Hirschach. 1750—51.
- 9) C. Girtanner: *Abh. über die Krankheit. d. Kinder etc.* Berlin. 1794.
- 10) F. Jahn: *Neues System der Kinderkrankh. etc.* Arnstadt. 1803.
- 11) F. Jahn: *Ueber den Keichhusten.* Rudolst. 1805.
- 12) C. B. Fleisch: *Handb. über die Krankh. d. Kinder etc.* 4. Bde. Leipzig. 1803—8.
- 13) J. Feiler: *Pädiatrik.* Sulzbach. 1814.
- 14) J. A. Göllis: *Prakt. Abhandl. über die vorzüglichsten Kinderkrankh.* Wien 1815.
- 15) A. Henke: *Handb. z. Erkenntniß u. Heil. der Kinderk.* 2 Bde. Frankf. a. M. 1821.
- 16) Heyfelder: *Beob. über d. Krankh. d. Neugeb., nach eigenen Erfahrungen in den Hosp. zu Paris.* Lpzg. 1820.
- 17) J. Wendt: *D. Kinderkrankh. system. dargest.* Bresl. u. Lpzg. 1826.
- 18) J. Ch. G. Jörg: *Handb. z. Erkennen u. Heilen der Kinderkrankh.* Lpzg. 1826.
- 19) L. F. Meissner: *Vorschungen d. 19ten Jahrhunderts etc.* Th. III. u. VI. Lpzg. 1826 u. 1832.
- 20) *Analekten über Kinderkrankh.* Heft. 1. Stuttg. 1834.
- 21) Pieper: *Die Kinder-Praxis im Findelhause und*

- im Hosp. f. kranke Kinder z. Paris. Göttingen 1831.
- 22) C. G. Carus: *Lehrbuch d. Gynäkologie. Bd. II.* Lpzg. 1828.
 - 23) C. W. Hufeland: *Ueber die Natur und Heilart der Skrofelkrankheit.* Wien 1810.
 - 24) C. A. W. Berends: *Vorlesungen über prakt. Arzneiwissenschaft.* edid. Sundelin. Berlin. 9 Bde. 1829.
 - 25) C. G. Neumann: *Von den Krankheiten d. Menschen.* 4 Bde. Berlin 1832—34.
 - 26) C. W. Hufeland: *Lehrb. d. allgem. Heilk.* Jena 1830.
 - 27) *Pharmacopoea universalis: nach Jourdan. deutsch bearbeitet.* Weimar 1832.
 - 28) Orfila: *Allgem. Toxikologie.* edid. Kühn. Bd. II. Lpzg. 1830.
 - 29) I. Ch. C. Jörg: *Materialien zu einer künftigen Heilmittellehre.* Bd. I. Lpzg. 1825.
 - 30) C. Sundelin: *Handb. d. speciellen Heilmittellehre.* Bd. I. Berlin 1827.
 - 31) A. F. Hecker: *Prakt. Arzneimittellehre. Th. I.* Gotha u. Erfurt 1829.
 - 32) Ph. E. W. Vogt: *Lehrb. der Pharmakodynamik.* 2 Bde. Giessen 1832.
 - 33) Ganzel: *De lactuca sativa et lactucario.* Berol. 1819.
 - 34) *Medic. Conversationsblatt: 1831. No. 27.*
 - 35) *Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauche prakt. Aerzte.*
 - 36) Harless: *Rhein. Jahrbücher.* Bd. IV. St. I.
 - 37) E. Horn *Archiv für medic. Erfahrung.*
 - 38) *Heidelberger klinische Annalen.* Bd. VII.
 - 39) C. W. Hufeland: *Journal d. pract. Arzneikunde.*